JULIUS episcopus servus servorum dei Dilecto filio Roderico Manrique Militi Militie de Calatrava Cisterciensis ordinis et dilecte in xpo filie Anne de Castella mulieri Valentin
dioc. Salt et aplicam ben. Oblata nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat quod licet alias tu fili Roderice postquam nonnullorum relatione perceperas quod alias Magister Militie de Calatrava Cisterciensis ordinis seu alius de eius
mandato habitum per Milites dicte Militie gestari solitum tibi tunc in Tertio tue etatis Anno vel circa constituto exhibuerat et certam Preceptoriam eiusdem Militie tunc certo modo vacantem ordinaria auctoritate contulerat habitum huius
modi etiam postquam ad Annum discretionis perveneras aliquandiu gestaveris et preditte ac successive aliarum dicte Militie Preceptoriarum que tibi canonice collate fuerunt fructus redditus et proventus perceperis et levaveris ac Precep
torie per te pro tempore obtente Preceptorem te publice nominaveris ac nominari feceris tamen professionem per dictos Milites emitti solitam nunquam expresse emisisti nec illam tacite vel expresse emittendi animum seu propositum in quo
saltem per Triduum firmiter perseveraveris habuisti prout super hoc iuramentum in Cancellaria aplica prestitisti sed potius mente gessisti Preceptoriam et habitum huiusmodi cum primum facultas se offerret ut aliunde ex bonis [illegible]
Militie iuxta tuam qualitatem honeste vivere posses dimittendi et ad Militiam sancti Jacobi de Spata sub regula sancti Augustini ad quam singularem gerebas prout geris devotionis affectum te transferendi et in
huiusmodi proposito persistens nuper Preceptoriam quam tunc obtinebas in manibus Carissimi in xpo filii nostri Ferdinandi Aragonum et Sicilie Regis Illustris Catholici qui eiusdem Militie de Calatrava Magistratus
perpetuus Administrator per sedem aplicam deputatus existit sponte et libere resignasti et demum resignatione ipsa per prefatum regem et Administratorem habitu huiusmodi per te dimisso et tu ac filia Anna quam tu fili Roderice
qui eidem Quarto consanguinitatis et Tertio affinitatis gradibus coniunctus eras prout existis incestuose polueras et plures filios superstites susceperas non ignorantes vos consanguinitatis et affinitatis gradibus huius
modi invicem fore coniunctos matrimonium per verba alias legitime de presenti clandestine contraxistis illudque carnali copula consumastis ac etiam postmodum forsan prolem suscepistis et tu fili Roderice apostasie notam ac quilibet
vestrum excommunicationis et alias sententias censuras et penas in tales etiam iuxta regularia instituta dicte Militie de Calatrava latas incurrendo vosque etiam obsistentibus que ex gradibus huiusmodi proveniunt impedimentis
in eodem sic contracto matrimonio remanere nequitis dispensatione aplica super hoc non obtenta. Ac sicut eadem petitio subiungebat si inter vos divortium fieret tu filia Anna perpetuo infamata et absque spe coniugii remaneres gra
vissimeque exinde inter vestros consanguineos et affines inimicitie ac perniciosissima scandala in partibus illis procul dubio sequerentur. Quodque si tibi quem ex eo quod tandem habitum per Milites Militie de Calatrava huiusmodi
gestari solitum publice gestasti et fructus redditus et proventus ex Preceptoria Militie de Calatrava huiusmodi licet honeste quo ad necessitatem coactus cum patrimonialia bona ex quibus te commode sustentare posses non haberes
interim percepisti et aliquando in dictam Militiam de Calatrava tacite consensisti conscientia vehementer remordet de Militia de Calatrava ad Militiam sancti Jacobi de Spata huiusmodi te transferendi licentia concederetur
profecto ex hoc animi tui quieti plurimum consuleretur. Pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum ut te fili Roderice qui ut asseris propter hoc ad Romanam Curiam in qua adhuc presens existis te personaliter contulisti ab
apostasie nota ac tam te quam quemlibet vestrum ab excessu ac excommunicationis aliisque sententiis censuris et penis predictis absolvere ac in aliis premissis de oportune dispensationis gratia providere de benignitate aplica dignaremur.
Nos igitur qui salutem querimus singulorum ac scandalis et dissensionibus ne eveniant quantum cum deo possumus libenter obviamus ex premissis et certis aliis nobis expositis causis huiusmodi supplicationibus inclinati te fili
Roderice ab apostasie et incestus ac quemlibet vestrum ab excessibus et excommunicationis ac aliis sententiis censuris et penis predictis auctoritate aplica tenore presentium absolvimus omnemque inhabilitatis et infamie maculam
sive notam per te fili Roderice dicta occasione contractam abolemus. Tibique de Militia de Calatrava ad Militiam sancti Jacobi de Spata huiusmodi transferendi ac et inibi sub illius regulari habitu perpetuo remanendi licen
tiam eadem auctoritate concedimus. Necnon postquam ad dictam Militiam sancti Jacobi translatus fueris vobiscum si ita est et dummodo tu filia Anna propter hoc rapta non fueris ut impedimentis predictis non obstantibus
prout alii Milites dicte Militie sancti Jacobi iuxta illius statuta et stabilimenta vos primo ad Tres Menses ab invicem separati matrimonium inter vos de novo contrahere et in eo postquam contractum fuerit remanere
libere et licite valeatis auctoritate et tenore premissis dispensamus prolem exinde susceptam et suscipiendam legitimam decernendo. Tibique fili Roderice ut omnibus et singulis privilegiis exemptionibus immunitatibus favori
bus libertatibus gratiis et indultis quibus alii dicte Militie sancti Jacobi Milites qui habitum ab illius Magistro susceperunt et professionem in ipsius Magistri seu ab eo pro tempore deputati manibus iuxta stabilimenta
et instituta eiusdem Militie sancti Jacobi ac privilegia et indulta aplica ei concessa emiserunt utuntur potiuntur et gaudent ac uti potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum uti potiri et gaudere libere et licite valeas eisdem
auctoritate et tenore indulgemus. Quocirca Venerabili fratri nostro Vincentio Archiepiscopo Neapolitano in dicta Curia residenti per aplica scripta mandamus quatinus tibi fili Roderice habitum per fratres dicte Militie
sancti Jacobi exhiberi debitum in ea recipi in Militem et fratrem ac sincera in domino caritate tractari faciat. Non obstantibus premissis ac Constitutionibus et ordinationibus aplicis necnon statutis et consuetudinibus stabili
mentis usibus et naturis Militiarum predictarum iuramento confirmatione aplica vel quavis firmitate alia roboratis ac quibusvis privilegiis indultis et litteris aplicis illius earum pro tempore existentibus Magistris seu
Administratoribus Prioribus et Militibus sub quibuscumque verborum formis et clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque fortioribus efficacioribus et insolitis irritantibusque decretis etiam motu proprio et ex certa
scientia concessis et imposterum forsan concedendis illis presertim quibus inter alia cavetur dicatur expresse quod nullus habitum dicte Militie sancti Jacobi nisi ab illius pro tempore existente Magistro seu perpetuo Administratore
vel ab eo speciale mandatum vel potestatem habente et in Civitate de Ozan vel alio loco ac sub certis modis et formis tunc expressis recipere et professionem predictam in alterius quam Magistri seu Administratoris predicti emittere
possit quodque receptio habitus et emissio professionis huiusmodi aliter etiam per sedem predictam seu de eius auctoritate facte pro nullis et infectis ipseque taliter in fratrem receptus pro non recepto habeatur ac privilegiis et indultis predictis
nullo modo gaudere possit quibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa et individua ac de verbo ad verbum non autem per generales clausulas idem importantes mentio
seu quevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda esset illorum tenores presentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse
[illegible] contrariis quibuscumque. [illegible] si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod ad [illegible] aliquam minime teneantur et ad id compelli aut quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras
aplicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem quod quilibet vestrum penitentiam per confessorem per quemlibet vestrum eligendum vobis iniungendam adimplere ac quod de cetero talia
non committetis nec ea committentibus prestabitis auxilium consilium vel favorem in manibus confessoris huiusmodi iuramentum prestare omnino teneamini et quilibet vestrum teneatur. Alioquin presentes littere nullius sint roboris
vel momenti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis abolitionis dispensationis indulti mandati derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemp
tare presumpserit indignationem omnipotentis dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Dat. Rome apud Sanctumpetrum. Anno Incarnationis dominice Millesimoquingentesimoundecimo
Quarto Non. Januarii Pontificatus nostri Anno Nono.

Grang de Mayto S[illegible]
W de Enckenvoirt
Jo. de Radicibus

Octavius de Cesis
Calcagno
Jo. aragonia

Sigismundus

Perg. 2

In nomine domini amen. Per hoc presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter et sit notum [illegible] ... Sergii Anno Nono [illegible] ... Roderici ... Alfonsus ... [illegible] ... Bernardo ... [illegible] ... ad premissa vocatis atque rogatis.

Et ego Beregarius Serra utriusque iuris doctor Archivii que Romane Curie Scriptor [illegible] ... Manu propria [illegible] ... meis et solitis nomine atque signo signavi et subscripsi in fidem premissorum rogatus et requisitus.

In christi nomine amen. Noverint universi presentes publicum instrumentum inspecturi quod in civitate palentina infra capellam [illegible] ... de Leon [illegible] ... Monasterii [illegible] ... mensis May Pontificatus sanctissimi in christo patris et domini nostri domini Julii divina providentia pape secundi anno nono [illegible] ... in mei notarii publici testiumque infrascriptorum presentia personaliter constituti [illegible] ... et nobilis domina Anna de castilla filia domini petri de castilla civis palentini [illegible] ... fratre Joanne [illegible] ... confessione [illegible] ... Anno a nativitate domini Millesimo quingentesimo [illegible] ... de qua [illegible] ... Alvarez ... Alfonso de morales [illegible] ... domini petri de castilla testibus ad premissa vocatis atque rogatis.

Et ego Alfonsus Paz civis Palentinus Publicus sacrosancta apostolica et ordinaria auctoritatibus notarius dominorumque decani et capituli palentini secretarius predictis absolutioni [illegible] ... Ceterisque premissis interfui ut prefertur [illegible] ... presens publicum instrumentum [illegible] ... signo et nomine meis assuetis signavi in fidem [illegible] ... rogatus et requisitus.

PACE CONCTIS
OPTATA GRERIS

Ita est apud me Sigismundum

Nº 35.

[illegible]